



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 19. De Itatinensium Sociorum laboribus & ulterioribus spebus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

admittentibus. Hoc oppidum, Divorum Petri & Pauli nominibus insignitum tertio à Paraquario lapide positum est.

**I**N adversa novi oppidi parte, ad Paraquarii litus, Pañaguarum natio ab primo Hispanorum in has terras adventu, continuatâ crudelitate cædibus infestam omnem viciniam hactenus habuerat; adeò atroci famâ, ut Guaicuræis simillimi viderentur. Ad eos variis temporibus transfugerant aliquot Neophyti, pravitate animi aut nimis servitiis exacerbati, à quibus Pañaguarum didicerant Sociorum nostrorum conditionem, salvâ corporum libertate, animarum salutem tantummodò inhiantium, ob quam rem ad Rançonierium frequentes convenere, affirmantes se etiam sedem fixam ponere velle. Dictis addidit facta, stercas suas, approbante Rançonierio, pro more gentis non procul ab Apostolorum coloniâ extemporali opere in formam oppidi erigentes. Sed ex innatâ indole factis non addidere constantiam, trans Paraquarium ad sua latibula paulò post dilapsi. At in quatuor novis sedibus degentes singuli Socii studio pari baptizandis infantibus & adultis erudiendis infudabant, è sua quique statione per totam regionem animarum lucrandarum ergò excurrentes. Nec negligebantur Hispani Xeresiani, quibus Nicolaus Enartius Quadragesimali tempore adeò gnavam operam navavit, ut oppidi primores litteris ad Senatum & Episcopum Paraquariensem datis enixè postularint, interponerent auctoritatem suam ad impetrandam Societatis sedem. Præterea Guati, Gualachi, & variorum idiomatum populi, non procul aberant, panem Evangelicæ doctrinæ, ut apparebat, recepturi, si essent, qui frangerent. Extra Provinciam verò in terris ad Aurelianum vergentibus Pygmæi corporum parvitate insignes: Amazonæ, sic nuncupatæ, quòd totâ vitâ belligerantes, singulis annis exiguo planè tempore ex vicinis populis ad concipiendum viros adfiscere dicantur, & aliæ gentes adeò numerosæ, ut Rançonierius ad majores suos scribens, multa simul oppida in interioribus regionibus, cum suppeterent Socii, fundari posse affirmaret. Denique si præsentem rerum statum & spem futurorum considerares, una Itatinensis provincia cum adjacentibus regionibus ad obliterandam calamitosâ Guairaniæ memoriam sufficere videbatur. Sed iteratus turbo, præsentium rerum statu everso, & spebus magnâ ex parte elusis, alteram Guairaniam in Itatinensi provinciâ ferè nobis figuravit. Adeò verum est, accedentes ad Dei servitutem præparari debere ad tentationem.

**S**INGULI Socii in his quatuor sedibus degentes, solatii & Confessionis sacramentalis ergò, solebant se invicem invisere: & quia octiduo aberant Ignatius Martines & Didacus Rançonierius, inter utrumque oppidum designaverant pagum Jerein dictum, quòd ex condicito subinde concurrerent. Ibi dum quadam die simul agerent, Christi Crucifixi imago altari imposita copiosè sudare cœpit, quo sudore reverenter pannis excepto, dubii num ex cælo tum temporis nubilo id evenisset, an ad prodigium referre deberent, taciti ominosæ rei præstolabantur eventum. Nec plures dies abiire, cum se portentis causa prodidit, nuncio de Mamalucorum in Itatinensem Provinciam adventu paulò post accepto. Hi post destructam Guaitaniam turmatim, cum numerosâ Tupicorum cohorte, eo, quo Socii itinere, ad proxima Xeresio loca penetrarant, inito que cum aliquot prædonibus scedere; de modo nova oppida statim vastandi egerant: quod ut minimo suo incommodo facerent, certos homines ad Sancti Josephi coloniam, absente Nicolao Enartio, destinant, dolosè significaturos, se non maleficii aut populationis ergò venisse, sed ut iniurias ab interioris terræ Indis Rançonierio illatas vindicarent: posse se, si JESU Sociis doctoribus suis rem acceptissimam facere vellent, arma jungere. Dux oppidi prædonibus fidem innocenter adhibens, populares suos ad vindictam animatos armari jubet, & nullâ interpositâ morâ ad castra Mamalucorum perducit: quòd cum pervenissent, detectâ fraude vincula armis commutare ad unum omnes jussi sunt, imbelli turbâ defensoribus destitutâ, ex oppido ad castra facillè etiam translatâ. Nicolaus Enartius redux, oppidum vacuum ubi ingressus est,

Nn

&amp; fraudis

## CAPUT

XIX.

De Itatinensium Sociorum laboribus & ulterioribus spebus.

Pañaguarum spem facit conversionis.

Xeresiani fidem Societatis expectant.

De Guatiis,

Pygmæis,

Et Amazonibus.

## CAPUT

XX.

Sancti Josephi colonia destruitur.

Sudat Christi imago.

Mamalucorum dolus.

Depradatio.

Nicolai Enartii virtus.